e-codices

pinguibus, equtrisque temperatis, ipsaque tam exquisitis
pascitur epulis, atque adeò benè, ut multos in dies
sequentem mensam ei differre liceat? ne mihi virum
insignem, ac prudentissimum in Catonis familia
œconomum ageret, qui tribus exquisitissimis ciborum
delicijs vivere consuevit, teneris præstantissimorum
piscium carnibus, sapidis pinguescentium boum dapibus,
ac dulcissimis melligerarum avium favis; adde si pla-
cet secundam, quæ regibus, aut divitioribus tantum apponi
solet, mensam, olerum, sylvestriúmque fructuum esu-
lentis. Si etiam victus parsimoniam laudabili
iunctam prodigalitati in œconomo desideres, eâ versus
frugalitate proditus est, ut hybernos menses fugendo
tantum ungues, ac volas, omnibus alijs cibis abstinens
ieiunus transfigat. Et quod evidentissimum denique
providi signum Curatoris est, ut Thales hoc certè nomine
doctissimus, sapientissimus autem facto testatur,
cui plurimum otij agere licet; si verum fatebor, virum
similem invenire me non confido. Laudantur ij, et meritò
laudantur, qui amplis familiam suam vectigalibus,
veluti corpus nervis roborant; providi videntur
qui vasta horrea, frugum, frumentorum, fructuúmque
copiâ implent: prudentes, qui fœcundis pecunia-
rum thesauris crumenas, ac scrinia referta habere
norunt, et ita semper ex ijs vivere, ut tamen minui
nunquam videantur: attamen et vectigalia, quò
maiora, eò faciliùs imminuuntur, si non auferantur

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 52v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/52v)